

1529 diis foret; jamque Rex abjectis belli consiliis, omnem recuperandorum liberorum spem in pace reposuisset, quam inter ambos Principes Cameraci initam fuisse, incertis rumoribus augente fama, per omnium ora vulgabatur. Magis quam ceteri solicii Florentini erant, adversus quorum libertatem Clementem cum Cæsare conspirasse ferebatur: reliqui minores Principes quo se fortuna vergeret, spectabant, non in bello, atque armis, sed in deprecationibus apud Cæsarem, & in illius clementia incolumentatem collocantes. Pontifex, qui, libertate impetrata, variis artibus abdita animi texerat, foederatos spe, ac verbis ludificatus, detectis consiliis, in Cæsaris partes palam transgressus, ex illius nutu, atque auctoritate totus pendebat, Cæsarique Genuam adventanti tres e præcipuis Cardinalibus obviam miserat. Florentina Respublica, cui ingentem tempestatem imminere multa portendebant, quatuor statim oratores ad Cæsarem miserat, ut illius mentem explorarent: quod civitas cum foederatis adversus ipsum arma sumpsiisset, id, Clemente suadente, atque nitente, factum; Cæsari suas res commendare; in illius voluntate, atque auctoritate futuram. Verum cum Pontifici, ac Cæsari maneret immota sententia Reipublicæ Florentinæ immutandæ, nihil obtinere potuerunt. Ferrarensis item oratorem ad Cæsarem miserat. Mantuae Marchio ad eundem profectus fuerat: ita cuncta pavoris, ac consternationis plena erant. Veneti per tot annos communis omnium consensu Italicæ libertatis, & dignitatis vindices, quamvis armatum Imperatorem in medio Italiæ inspicerent; Pontificem illi adhæsisse cernerent; nutantes Florentinos, reliquos vero magno veluti fulgore correptos, quid consilii caperent, aut quo se verterent, ignorare, nisi in Cæsare perfugium haberent; a Gallo nulla belli subsidia expectari posse; tamen infraicto animo, impavidi ad omnia fortunæ tela excipienda, durato assiduis curis, ac molestiis animo, nihil humile, aut demissum agere decrevere. Partam a majoribus libertatem, & gloriam, ab iisque posteris per manus traditam conservare statuunt; neque insitam majorum Principum animis ambitionem, ac fastum experiri velle; cum sibi suaderent, Cæsarem, qui per tot annos nobilissimæ provinciæ dominationem affectaverat, Pontificem pollicitis oneraverat, reliquos

*Cardinales
Genuam a
Pontifice
ad Cæsarem
missi.
Oratores
Italorum
Principum
ad Cæsa-
rem.*

*Venetorum
constantia.*